

## ΑΠΑΝΘΙΣΜΑ ΡΩΜΑΪΚΗΣ ΙΣΤΟΡΙΟΓΡΑΦΙΑΣ

Caesar, *De bello Gallico*, I, 44

Ariovistus ad postulata Caesaris pauca respondit, de suis virtutibus multa praedicavit: transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum et accersitum a Gallis; non sine magna spe magnisque praemiis domum propinquosque reliquisse; sedes habere in Gallia ab ipsis concessas, obsides ipsorum voluntate datos; stipendium capere iure belli, quod victores victis imponere consuerint. non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse; omnes Galliae civitates ad se oppugnandum venisse ac contra se castra habuisse; eas omnes copias uno a se proelio pulsas ac superatas esse. si iterum experiri velint, se iterum paratum esse decertare; si pace uti velint, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus pependerit. amicitiam populi Romani sibi ornamento et praesidio, non detrimento esse oportere, idque se hac spe petisse. si per populum Romanum stipendium remittatur et dediticii subtrahantur, non minus se libenter recusaturum populi Romani amicitiam quam adpetierit. quod multitudinem Germanorum in Galliam traducat, id se sui muniendi, non Galliae impugnandae causa facere. eius rei testimonium esse quod nisi rogatus non venerit et quod bellum non intulerit, sed defenderit. se prius in Galliam venisse quam populum Romanum; numquam ante hoc tempus exercitum populi Romani Galliae provinciae finibus egressum. quid sibi vellet? cur in suas possessiones veniret? provinciam suam hanc esse Galliam, sicut illam nostram. ut ipsi concedi non porteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus. quod a se Haeduos amicos appellatos diceret, non se tam barbarum neque tam imperitum esse rerum ut non sciret neque bello Allobrogum proximo Haeduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus, quas Haedui secum et cum Sequanis habuissent, auxilio populi Romani usos esse. debere se suspicari simulata Caesarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. qui nisi decedat atque exercitum deducat ex his regionibus, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. quodsi eum interfecerit, multis se nobilibus principibusque populi Romani gratum esse facturum — id se ab ipsis per eorum nuntios compertum habere —, quorum omnium gratiam atque amicitiam eius morte redimere posset. quodsi decessisset et liberam possessionem Galliae sibi tradidisset, magno se illum praemio remuneraturum et quaecumque bella geri vellet sine ullo eius labore et periculo confecturum.



**Caesar, De bello Gallico, VII, 88-89**

88,5. Conspicati ex oppido caedem et fugam suorum desperata salute copias a munitionibus reducunt. fit protinus hac re audita ex castris Gallorum fuga. quodnisi crebris subsidiis ac totius diei labore milites essent defessi, omnes hostium copiae deleri potuissent. de media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur; magnus numerus capitur atque interficitur, reliqui ex fuga in civitates discedunt.

89. Postero die Vercingetorix concilio convocato id bellum suscepisse se non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa demonstrat, et quoniam sit Fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu vivum tradere velint. mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. iubet arma tradi, principes produci. ipse in munitione pro castris consedit; eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma prociuntur. reservatis Haeduis atque Arvernīs, si per eos civitates recuperare posset, ex reliquis captivis toti exercitui capita singula praedae nomine distribuit.

**Caesar, De Bello Civili I, 32**

His rebus confectis Caesar, ut reliquum tempus a labore intermitteretur, milites in proxima municipia deducit; ipse ad urbem proficiscitur. coacto senatu iniurias inimicorum commemorat. docet se nullum extraordinarium honorem adpetisse, sed expectato legitimo tempore consulatus eo fuisse contentum, quod omnibus civibus pateret. latum ab X tribunis plebis contradicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante et pristina consuetudine dicerendi mora dies extrahente, ut sui ratio absentis haberetur, ipso consule Pompeio; qui si inprobasset, cur ferri passus esset? si probasset, cur se uti populi beneficio prohibuisset? patientiam proponit suam, cum de exercitibus dimittendis ultro postulavisset, in quo iacturam dignitatis atque honoris ipse facturus esset. acerbitatem inimicorum docet, qui quod ab altero postulant, in se recusarent, atque omnia permisceri mallent quam imperium exercitusque dimittere. iniuriam in eripiendis legionibus praedicat, crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis; condiciones a se latas, expetita conloquia et denegata commemorat. pro quibus rebus hortatur ac postulat, ut rem publicam suscipiant atque una secum administrent.

## Cornelius Nepos

### *Alcibiades, 1*

Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. in hoc quid natura efficere possit uidetur experta. constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius uel in uitiis uel in uirtutibus. natus in amplissima ciuitate summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus; ad omnes res aptus consiliique plenus (namque imperator fuit summus et mari et terra); disertus, ut in primis dicendo ualeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere; diues; cum tempus posceret, laboriosus, patiens; liberalis, splendidus non minus in uita quam uictu; affabilis, blandus, temporibus callidissime seruiens: idem, simul ac se remiserat neque causa suberat quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diuersam naturam.

### *Atticus, 13*

Neque uero ille minus bonus pater familias habitus est quam ciuis. nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. neque tamen non in primis bene habitauit omnibusque optimis rebus usus est. nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilianam, ab auunculo hereditate relictam, cuius amoenitas non aedificio, sed silua constabat: ipsum enim tectum antiquitus constitutum plus salis quam sumptus habebat: in quo nihil commutauit, nisi si quid uetustate coactus est. usus est familia, si utilitate iudicandum est, optima, si forma, uix mediocri. namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi et plurimi librarii, ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset, pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, adprime boni. neque tamen horum quemquam nisi domi natum domique factum habuit: quod est signum non solum continentiae, sed etiam diligentiae. nam et non intemperanter concupiscere, quod a plurimis uideas, continentis debet duci, et potius diligentia quam pretio parare non mediocris est industriae. elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus: omnique diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. supellæx modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. nec praeteribo, quamquam nonnullis leue uisum iri putem, cum in primis lautus esset eques Romanus et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines inuitaret, non amplius quam terna milia peraeque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui

ferre solitum. atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus: saepe enim propter familiaritatem domesticis rebus interfuius.

**Sallustius, *De coniuratione Catillinae*, 5**

L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. huic ab adulescentia bella intestina caedes rapinae discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. corpus patiens inediae algoris vigiliae, supra quam quoiquam credibile est. animus audax subdolos varius, quous rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. vastus animus inmoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. hunc post dominationem L. Sullae libido maxuma invaserat rei publicae capiundae; neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra memoravi. incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

**Titus Livius**

***Praefatio*, 1-5**

Facturusne operae pretium sim si a primordio urbis res populi Romani perscripserim nec satis scio nec, si sciam, dicere ausim, quippe qui cum ueterem tum uolgatam esse rem uideam, dum noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se aut scribendi arte rudem uetustatem superaturos credunt. utcumque erit, iuuabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro uirili parte et ipsum consuluisse; et si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me qui nomini officient meo consoler. res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur et quae ab exiguis profecta initiis eo creuerit ut iam magnitudine labore sua; et legentium plerisque haud dubito quin primae origines proximaque originibus minus praebitura uoluptatis sint, festinantibus ad haec noua quibus iam pridem praeualentis populi uires se ipsae conficiunt: ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum quae nostra tot per annos uidit aetas, tantisper certe dum prisca [tota] illa mente repeto, auertam, omnis expers curae quae scribentis animum, etsi non flectere a uero, sollicitum tamen efficere posset.

Velleius Paterculus, *Historia Romana*, II, 123, 1,1

Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Caesar Augustus, cum Germanicum nepotem suum reliqua belli patraturum misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum ad firmanda pace quae bello subegerat, prosequens eum simulque interfuturus athletarum certaminis ludicro quod eius honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam. Quamquam iam motus imbecillitatis inclinataeque in deterius principia ualetudinis senserat, tamen obritante ui animi prosecutus filium digressusque ab eo Beneuenti ipse Nolam petiit. Et, ingrauescente in dies ualetudine, cum sciret quis uolenti omnia post se salua remanere accersendus foret, festinanter reuocauit filium; ille ad patrem patriae expectato reuolauit maturius. Tum securum se Augustus praedicans circumfusisque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera nec quidquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox, cum omnem curam fata uincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Apuleioque consulibus, septuagesimo et sexto anno, animam caelestem caelo reddidit.

Valerius Maximus

*Facta et dicta memorabilia* I, 1, 16-17

[DE NEGLECTA RELIGIONE]

Creditum est Varronem consulem apud Cannas cum Karthaginiensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Iunonis, quod, cum ludos circenses aedilis faceret, in Iouis optimi maximi tensa eximia facie puerum histrionem ad exuuias tenendas posuisset. quod factum, post aliquot annos memoria repetitum, sacrificiis expiatum est.

Hercules quoque detractae religionis suae et grauem et manifestam poenam exegisse traditur: nam cum Potitii sacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorum ab ipso adsignatum uelut hereditarium optinuerant, auctore Appio censore ad humile seruorum <publicorum> ministerium transtulissent, omnes, qui erant numero super XXX, puberes intra annum extincti sunt nomenque Potitium in XII familias diuisum † prope interiit, Appius uero luminibus captus est.

Curtius Rufus

*Historiae Alexandri Magni, X, 5, 1, 1*

Intuentibus lacrimae obortae praebuere speciem iam non regem, sed funus eius visentis exercitus. Maeror tamen circumstantium lectum eminebat; quos ut rex aspexit, "Invenietis," inquit "cum excessero, dignum talibus viris regem?" Incredibile dictu audituque, in eodem habitu corporis, in quem se composuerat, cum admissurus milites esset, durasse, donec a toto exercitu illud ultimum persalutatus est. Dimissoque vulgo velut omni vitae debito liberatus fatigata membra reiecit, propiusque adire iussis amicis – nam et vox deficere iam coeperat – detractum anulum digito Perdiccae tradidit adiectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri iuberent. Quaerentibusque his, cui relinqueret regnum, respondit ei, qui esset optimus; ceterum providere iam se ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. Quaerentibusque his, cui relinqueret regnum, respondit ei, qui esset optimus; ceterum providere iam se ob id certamen magnos funebres ludos parari sibi. Rursus Perdicca interrogante, quando caelestes honores haberi sibi vellet, dixit tum velle, cum ipsi felices essent. Suprema haec vox fuit regis, et paulo post extinguitur.

Ac primo ploratu lamentisque et planctibus tota regia personabat; mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpebant, ad cogitationes, quid deinde futurum esset, dolore converso. Nobiles pueri custodiae corporis eius adsueti nec doloris magnitudinem capere nec se ipsos intra vestibulum regiae tenere potuerunt: vagique et furentibus similes tantam urbem luctu ac maerore compleverant nullis questibus omissis, quos in tali casu dolor suggerit. Ergo qui extra regiam adstiterant Macedones pariter barbarique concurrunt, nec poterant victi a victoribus in communi dolore discerni. Persae iustissimum ac mitissimum dominum, Macedones optimum ac fortissimum regem invocantes certamen quoddam maeroris edebant

**Tacitus, *Historiae* I, 16, 1**

Si immensum Imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ventum est ut nec mea senectus conferre plus populo Romano possit quam bonum successorem, nec tua plus iuventa quam bonum principem. sub Tiberio et Gaio et Claudio unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi coepimus; et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. nam generari et nasci a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum et, si velis eligere, consensu monstratur.

**Tacitus, *Annales* XV, 44**

...Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decebat infamia quin iussum incendium crederetur. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi aut flammam, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quamquam adversus sontis et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius absumerentur.



**Suetonius Tranquillus**

***Vita Domitiani, 1***

...Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patruo Sabino ac parte praesentium copiarum, sed irrumpentibus aduersariis et ardente templo apud aedituum clam pernoctauit, ac mane Isiaci celatus habitu interque sacrificulos uariae superstitionis cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus qui uestigia subsequuti erant, deprehendi non potuerit. post uictoriam demum progressus et Caesar consalutatus honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus, nam iuris dictionem ad collegam proximum transtulit, ceterum omnem uim dominationis tam licenter exercuit, ut iam tum qualis futurus esset ostenderet. ne exequar singula, contractatis multorum uxoribus Domitiam Longinam Aelio Lamiae nuptam etiam in matrimonium abduxit, atque uno die super XX officia urbana aut peregrina distribuit, mirari se Vespasiano dicitante, quod successorem non et sibi mitteret.

**Suetonius Tranquillus**

***Vita Domitiani, 3, 1, 1***

Inter initia principatus cotidie secretum sibi horarum sumere solebat nec quicquam amplius quam muscas captare ac stilo praeacuto configere, ut cuidam interroganti, essetne quis intus cum Caesare, non absurde responsum sit a Vibio Crispo, ne muscam quidem. deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat alteroque anno < . . . . . >, consalutauit Augustam; eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiavit intraque breue tempus inpatiens discidii quasi efflagitante populo reduxit. Circa administrationem autem Imperii aliquamdiu se uarium praestitit, mixtura quoque aequabili uitiorum atque uirtutum, donec uirtutes quoque in uitia deflexit: quantum coniectare licet, super ingenii naturam inopia rapax, metu saeuus.

L. Annaeus Florus  
*Hist. Rom.* II, 10 (= III, 22)

BELLVM SERTORIANVM

Bellum Sertorianum quid amplius quam Sullanae proscriptionis hereditas fuit? hostile potius an civile dixerim nescio, quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce. exsul et profugus feralis illius tabulae, vir summae quidem sed calamitosae virtutis malis suis maria terrasque permiscuit; et iam Africae, iam Balearibus insulis fortunam expertus usque in Oceanum Fortunatasque insulas penetravit consiliis, tandem Hispaniam armavit. viro cum viris facile convenit. nec alias magis apparuit Hispani militis vigor quam Romano duce. quamquam ille non contentus Hispania ad Mithridaten quoque ponticosque respexit regemque classe iuvit. et quid futurum fuit satis tanto hosti, cui uno imperatore resistere res Romana non potuit? additus Metello Gnaeus Pompeius. hi copias adtriverant viri, prope tota Hispania persecuti. diu et ancipiti semper acie pugnatum est; nec tamen prius bello quam suorum scelere et insidiis extinctus est. prima per legatos habita certamina, cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtuleius proluderent; mox hoc apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces cominus invicem experti apud Lauronem atque Sucronem aequavere clades. tum illis ad populationes agrorum, his quavere clades. tum illis ad populationes agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiae poenas dabat; donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsae quoque in Romanam fidem venere urbes Osca, Termeste, Clunia, Valentia Auxume et in fame nihil non experta Calagurris. sic recepta in pacem Hispania. victores duces externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

**M. Justinus Junianus, *Historiae Philippicae*, I, 3**

Postremus apud eos regnavit Sardanapalus, uir muliere corruptior. Ad hunc uidentum (quod nemini ante eum permissum fuerat) praefectus ipsius, Medis praepositus, nomine Arbaces, cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nenetem, et muliebri habitu, cum mollitia corporis et oculorum lasciuia omnes feminarum anteiret, pensa inter uirgines partientem. Quibus uisis, indignatus tali feminae tantum uirorum subiectum, tractantique lanam ferrum et arma habentes parere, progressus ad socios, quid uideret refert: negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse quam uirum. Fit igitur coniuratio; bellum Sardanapalo inferitur. Quo ille audito, non ut uir regnum defensurus, sed, ut metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis et incompositis in bellum progreditur. Victus in regiam se recipit, ubi exstructa incensaque pyra, et se et diuitias suas in incendium mittit, hoc solo imitatus uirum. Post hunc rex constituitur interfector eius Arbaces, qui praefectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

**Aulus Gellius, *Noct. Att.* I, 10**

Quibus uerbis compellauerit Fauorinus philosophus adolescentem casce nimis et prisce loquentem. Fauorinus philosophus adolescenti ueterum uerborum cupidissimo et plerasque uoces nimis prisca et ignotas in cotidianis communibusque sermonibus expromenti: 'Curius' inquit 'et Fabricius et Coruncanus, antiquissimi uiri, et his antiquiores Horatii illi trigemini plane ac dilucide cum suis fabulati sunt neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed aetatis suae uerbis locuti sunt; tu autem, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquere, sermone abhinc multis annis iam desito uteris, quod scire atque intellegere neminem uis, quae dicas. Nonne, homo inepte, ut, quod uis, abunde consequaris, taces? Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta et bona et sobria et modesta sit. Viue ergo moribus praeteritis, loquere uerbis praesentibus atque id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae uiro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut "tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens uerbum".'

Sextus Aurelius Victor, *Hist. abr. s. Caes.* 14

Igitur Aelius Hadrianus, eloquio togaeque studiis accommodatior, pace ad orientem composita, Romam regreditur. Ibi Graecorum more seu Pompilii Numae, caerimonias, leges, gymnasia, doctoresque curare coepit, adeo quidem ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenaeum uocant, constitueret, atque initia Cereris Liberaeque, quae Eleusina dicuntur, Atheniensium modo Roma percoleret. Deinde, uti solet tranquillis rebus, remissior, rus proprium Tibur secessit, permissa urbe Lucio Aelio Caesari. Ipse, uti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas; postremo omnia satis anxie prospicere quae luxus lasciuiaeque essent. Hinc orti rumores mali iniecissee sturpa puberibus, atque Antinoi flagrauisse famoso ministerio, neque alia de causa urbem conditam eius nomine aut locasse ephebo statuas. Quae quidem alii pia uolunt religiosaque: quippe Hadriano cupiente fatum producere, cum uoluntarium ad uicem magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinuum obiecissee <se> referunt, hincque in eum officia supra dicta. Nos rem in medio relinquemus, quanquam in remisso ingenio suspectam aestimantes societatem aevi longe imparilis. Interim Aelio Caesare mortuo, cum ipse animo parum ualeret Idcircoque despectui haberetur, ad creandum Caesarem patres conuocat. Quibus propeere accurrentibus, forte Antonium conspexit senis soceri aut genitoris anxios gressus leuantem manu. Quo mire oblectatus, adoptatum legibus Caesarem iubet, statimque ab eo senatus, cui ludibriu fuerat, magnam partem necari. Neque multo post apud Baias tabe interiit, anno imperii absque uicesimo secundo, senecta uiridior. At patres, ne principis oratu quidem, ad Diui honorem eidem deferendum flectebantur; tantum amissos sui ordinis tot uiros maerebant. Sed postquam subito prodire quorum exitium dolori erat, quique suos complexi, censent quod abnuerant.

Ammianus Marcellinus, *Res gestae*, XXV, 15-20

Quae dum ita aguntur, Iulianus in tabernaculo iacens, circumstantes adlocutus est demissos et tristes: 'aduenit, o socii, nunc aduenit tempus e uita inpendio tempestiuum, quam reposita naturae ut debitor bonae fidei redditurus exulto, non ut quidam opinatur adflictus et maerens, philosophorum sententia generali perdoctus quantum corpore sit beatior animus, et contemplans, quotiens condicio melior a deteriore secernitur, laetandum esse potius quam delendum; illud quoque aduertens, quod etiam dii caelestes quibusdam piissimis mortem tamquam summum praemium persoluerunt. Munus autem id mihi delatum optime scio, ne difficultatibus subcumberem arduis, neue me proiciam unquam aut prosternam, expertus quod dolores omnes, ut insultant ignaui, ita persistentibus cedunt. Nec me gestorum paenitet aut grauis flagitii recordatio stringit: uel cum in umbra et angustiis amendarer, uel post principatum susceptum, tamquam a cognatione caelitem defluentem, immaculatum <me>, ut existimo, conseruauit, et ciuilia mederatius regens et examinatis rationibus bella inferens repellens, tametsi prosperitas simul utilitasque consultorum non ubique concordent, quoniam coeptorum euentus superae sibi uindicant potestates. Reputans autem iusti esse finem imperii oboedientium commodum et salutem, ad tranquilliora semper, ut nostis, <propensior fui, licentiam omnem actibus meis exter>minans, rerum corruptricem et morum, gaudensque ab eo, sciens quod ubicumque <me> uelut imperiosa parens consideratis periculis obiecit res publica, steti fundatus, turbines calcare fortuitorum adsuefactus. Nec fateri pudebit: interiturum me ferro dudum didici, fide fatidica praecinente. Ideoque sempiternum ueneros numen, quod non clandestinis insidiis, nec longa morborum asperitate, uel damnatorum fine decedo, sed in medio cursu florentium gloriarum hunc merui clarum ex mundo digressum. Aeque enim iudicio iuxta timidus est et ignauus qui, cum non oportet mori desiderat, et qui refugiat cum sit opportunum. Hactenus loqui, uigore uirum labente, sufficiet. Super imperatore uero creando caute reticeo, ne per imprudentiam dignum praeteream, aut nominatum quem habilem reor, anteposito forsitan alio, discrimen, <in> ultimum trudem. Ut alumnus autem rei publicae frugi, opto bonum post me repperiri rectorem.

## *Historia Augusta*

**Aellus Spartianus, *De vita Hadriani*, XIV, 3-11-XV, 1-8**

In monte Casio, cum uidendi solis ortus gratia nocte ascendisset, imbre orto fulmen decidens hostiam et uictimarium sacrificanti adfluit. Peragrata Arabia Pelusium uenit et Pompei tumulum magnificentius extruxit. Antinoum suum, dum per Nilum nauigat, perdidit, quem muliebriter fleuit. De quo varia fama est aliis eum deuotum pro Hadriano adserentibus, aliis, quod et forma eius ostentat et nimia uoluptas Hadriani. Et Graeci quidem uolente Hadriano eum consecrauerunt oracula per eum dari adserentes, quae Hadrianus ipse composuisse iactatur. Fuit enim poematum et litterarum nimium studiosissimus. Arithmeticae, geometriae, picturae peritissimus. Iam psallendi et cantandi scientiam prae se ferebat. In uoluptatibus nimius. Nam et de suis dilectis multa uersibus composuit. [amatoria carmina scripsit.] Idem marmorum peritissimus et rei militaris scientissimus, gladiatoria quoque arma tractauit. Idem seuerus laetus, comis grauis, lasciuus cunctator, tenax liberalis, <simplex> simulator, saeuus clemens et semper in omnibus varius.

Amicos ditavit et quidem non petentes, cum petentibus nil negaret. Idem tamen facile de amicis, quidquid insusurrabatur, audivit atque ideo prope cunctos uel amicissimos uel eos, quos summis honoribus euexit, postea ut hostium loco habuit, ut Attianum et Nepotem et Septicium Clarum. Nam Eudaemonem prius conscium imperii ad egestatem perduxit. Polyaeum et Marcellum ad mortem uoluntarium coegit. Heliodorum famosissimis litteris lacessivit, Titianum ut conscium tyrannidis et argui passus est et proscribi. Umidium Quadratum et Catillum Severum et Turbonem graviter insecutus est. Servianum sororis uirum nonagesimum iam annum agentem, ne sibi superviveret, mori coegit.